



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **PUBLICE CONSTAT** TEMPLUM B. M. V. DE MONTE  
CARMELO DICATUM, QUOD IN LOCO «MAIPÚ»  
INTRA FINES ARCHIDIOECESIS SANCTI IACOBI IN CHILE EXSTAT,  
AD GRADUM BASILICAE MINORIS NUNC EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Publice constat praeclaram  
aedem B. M. V. de Monte Carmelo sacram, quae in loco «Maipú» intra fines Ecclesiae Sancti Iacobi in Chile eminet, iam  
pridem ex voto fidelium aedificatam esse adeptae patriae libertatis commemorandae causa, simul atque pro explorato  
habetur quantum id historicum Chiliae monumentum contulerit et in praesentia conferat non solum ad amorem erga  
Rempublicam in civibus servandum, sed etiam, et quidem ob laudabilem industriam cleri eidem templo addicti, ad  
catholicam fidem alendam una cum christiana pietate, necnon ad venerationem gloriosissimae Deiparae Virginia Mariae  
assidue colendam magisque in dies vulgandam et incrementis augendam. Quae cum ita lint, Nos, laudabilia eiusmodi  
cogitates participantes, libenter Venerabilis Fratris Nostri S. R. E. Ioannis Francisci Card. Fresno Larrain, Archiepiscopi  
Sancti Iacobi in Chile, preces audimus, quas, cum res sit suis suique cleri ac populi in votis, huic adhibuit Sanctae Sedi  
ad titulum Basilicae Minoris templo quod diximus impetrandum. Quare, sententiam Congregationis pro Cultu Divino  
confirmantes, vi et potestate Nostra Apostolica harumque Litterarum virtute perpetuum in modum templum illud, quod  
diximus, Beatae Mariae Virgini de Monte Carmelo dicatum in memorata archidioecesi Chilensi ad insignem honorem  
evehimus ac dignitatem Basilicae Minoris, cuncta iura et privilegia liturgica ei tribuentes, quae omnium huius ordinis  
templorum sunt propria, servatis «de titulo Basilicae Minoris» servandis ad mentem Decreti die VI mensis Ianuarii  
MCMLXVIII foras prolati. Contrariis minime obstantibus. Has Litteras Nostras religiose observari volumus suosque nunc  
et in posterum effectus habere. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Ianuarii,*  
*anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright  
1987 - Libreria Editrice Vaticana

---